

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Commentatio Academica De Recta Theologiae Parabolicae
& Allegoricae Conformatione**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Christlieb, Wilhelm Bernhard
Rühle, Christian Andreas**

Tubingae, 1729

§. I.

[urn:nbn:de:bsz:31-41906](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41906)



ANTECESSIO.



Ost editas duas de rectâ Theologiæ typicæ & propheticæ conformatione commentationes justum est & æquum, imò ipsa poscit argumenti ratio, ut & de rectâ Theologiæ parabolicæ & allegoricæ conformatione agamus, cœptum sic filum ad finem perducturi. Quod dum facimus, & heic Deum rogamus, ut adjutorio suo clemens nobis adsistat!

CAPUT PRIMUM

DE RECTA THEOLOGICÆ PARABOLICÆ CONFORMATIONE.

§. I.



Arabola, à Græco *παροβαλλειν*, quod inter alia & conferre, comparare est, est *collatio* sive *comparatio* vi vocis (a). Locutionem obscuram cum acumine conjunctam denotat vox Matth. XV. 15. Proverbium, adagium, apophthegma alibi significat Luc. IV. 23. V. 36. VI. 39. monitum morale Luc. XIV. 7.

A

fimi-

similitudinem quoque & figuram Luc. XXI. 29. Hebr. IX. 9, XI. 19. in quo posteriore loco & *tyrum* significare posset (b). Communiter verò parabola in tabulis N. T. dicit historiam, sed verisimilem, eo fine confictam, ut altius & spirituale, quid sub isto velo significetur (c). Idem est *παροιμία* Joh. X. 6. aliàs locutio paulò obscurior & figurata Joh. XVI. 25. & proverbium 2. Pet. II. 22. Ebraicæ voces, quæ huc ex V. T. pertinent, sunt *משל*, *הדה*, *מליצה*, de quibus heic non est dicendi locus (d).

- (a) Confer Jo. Vorstii Philol. sacram P. 1. C. 4. p. 135, 136, & J. G. Neumanni diss. de Parabolâ, quæ est in primitiis diss. Acad. numero decima, mox sub initium.
- (b) Dicitur hic Abrahamus filium Isaacum, cujus immolationem Angelus impederat, *ἐν παραβολῇ* recepisse. Ubi ut plurimum interpretes vertunt, in figurâ, in typo, sive Christi ex mortuis resuscitandi, sive & fidelium olim resuscitandorum, vel ad similitudinem plurium in V. & N. T. jam resuscitatorum. Lamb. Bos in exercit. ad N. T. p. 247. putat, *ἐν παραβολῇ* idem esse ac *quasi* è mortuis. G. Raphelius existimat, idem hoc esse ac *παραβολῶς ἰσπερατὶ* apud Polybium in annot. in N. T. ex Polybio & Arriano p. 676. 139. Sed cl. Hombergk zu Vach in parergis sacris ad h. l. putat *ἐν παραβολῇ* idem esse ac *in presentissimo periculo*. Hinc apud veteres *Parabolani* illi dicti, qui peste grassante agrorum servitio sese addicebant vel spe lucri contra bestias pugnabant vel petrauro per ignem transilire non detestabant. Imò & Christiani olim subinde ita dicti, quòd confessione Christi maximis periculis & cruciatibus audacissime sese exponerent. Vide Saldeni otia Theologica L. 4. exerc. 5. §. 3. & Neumanni diss. cit. §. 6. p. 420. 421.
- (c) Confer Neumanni diss. citatam §. 5. p. 419. §. 7. p. 421. 422. Hujus hæc definitio est. *Parabolam dicimus figmentum verisimile, protasi & apodosis constans, quo Orientales potissimum Doctores, propositâ actionum humanarum non ludicrâ imagine doctrinam recondebant, ut sublimiora caperentur facilius torpentesque & rudes animi quâdam docendâ voluptate permulcerentur.* Adde Teilmannum in comm. ad Luc. XVI. p. 73. 139.
- (d) Vide Glaslii Philol. sacram L. 2. tr. 2. sect. 5. art. 1. §. 3. & Camp. Vitringæ Vorbereitung über die Evangelischen Parabolen §. 10.

§. 2.

Differt itaque parabola ab historia, à simili vel exemplo, ab apologo, ab anigmate, à fabulâ, à proverbio, ab allegoriâ, à poemate & eclogâ, ab emblemate, à signo, à symbolo, à typo, à prophetiâ. Historia est